

Transcripción del latín de la Carta de Población de Salou

In domine sancte et individue Trinitatis. Manifestum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego Ildefonsus, Dei gratia rex Aragonis, comes Barchinone et marchio Provincie, dono, laudo et concedo in feudum et cum hac presenti pagina in perpetuum auctorizo tibi Ximino de Artusella et tuis omnibus heredibus in perpetuum, portum de Salou cum omnibus suis terminis et pertinentiis quas habet et habere debet et cum stagno de Pineda et cum aliis stagnis et portibus sibi pertinentibus a stagno, videlicet Bertrandi de Castelleto usque ad collum de Balaguer. Ita quidem ut predictum portum de Salou cum omnibus supradictis habeas in feudum, teneas et possideas tu et omnes tui successores, ad forum et consuetudinem Catalonie et ad populandum et ad meliorandum et semper in melius augendum ad meam meorumque fidelitatem. Donativa equidem et constitutiones que tu et tui faciebitis ibi, laudo et concedo per me et per meos successores. Dono etiam tibi et tuis, laudo et concedo aquam de Buelam et aquam Dares et aquam de Polpres et omnes aquas quas ad portum poteritis adducere predictum. Laudo insuper et concedo tibi et tuis quicquid de iure poteris acquirere quod ad predictum portum pertineat vel pertinere debeat vel ad suos terminos iamdictos. Et ego adiuvare te habeo et tuos ad exigendum iura predicti portus suorumque terminorum et adquirendum. Dono preterea, laudo et concedo tibi et tuis quantumcumque infra mare tu et tui volueritis quemadmodum supradicti termini circa illud includunt. Sciendum quoque est quod in predictu portu perpetuum constituo mercatum die mercurii singulis ebdomandis celebrandum. Quicumque autem ad istum mercatum vel ad iamdictum portum venerit per mare sive per terram sit salvus et securus cum omnibus rebus suis, receptus in nostro securo ducatu et in propria emparancia et manutenencia speciali. Predictum, itaque, portum cum omnibus suis terminis et pertinentiis et integre cum omnibus suprascriptis dono, laudo et concedo tibi prenominato Xameno de Artusella et tuis omnibus successoribus in perpetuum sicut supra declaratum est in feudum ad tuam videlicet et tuorum voluntatem semper faciendam, salva mea meorumque fidelitate per secula cuncta.

Data Pratis, anno Domini M C XCIII, mense iulii.

Signum + Ildefonsi, Dei gratia regis Aragonis, comitis Barchinone et marchionis Provincie. Signum + Sancie, regine Aragonis, comitisse Barchinone, marchesie Provincie. Signum + infantis Petri, filii regis Aragonis.

Sig+num Bernardi de Portella. Sig+num Guillem de Granata. Sig+num Dalmatii de Palaciolo. Sig+num Arnaldi d'Eril. Sig+num Raimundi Gaucerandi. Sig+num Arnaldi de Sadaone. Signum Arnaldi de Siscar. Sig+num Raimundi Darens. Sig+num Xameni de Rada. Sig+num Michaelis de Lusia. Sig+num Guillelmi de Alcala. Sig+num F. Valerii.

Signum Petri de Blandis, notarii domini regis, qui mandato eiusdem supradicta scripsit mense et anno prefixo.